Per presens scriptum notum sit tam presentibus quam futuris quod ego Aldefonsus dei gratia rex Castelle et Toleti, una cum uxore mea Alienore regina, et cum filiis meis dono Fernando et dono Henrico, libenti animo et uoluntate spontanea, pro multis et gratis seruiciis que mihi diu et fideliter exhibuistis et cotidie exhibere non cessatis, facio cartam donacionis, concessionis, confirmationis et stabilitatis uobis dono Alfonso Tellii et uxori uestre done Eluire et filiis et filiabus et nepotibus uestris et omnibus successionibus uestris in perpetuum ualituram. Dono itaque uobis et concedo aldeam illam de Montalban que dicitur Dos Ermanas, et turre de Aiala moneda, cum ingressibus et egressibus, cum montibus, fontibus, aquis, riuis, nemoribus, defesis, pratis, pascuis, et cum omnibus terminis et pertinenciis suis, iure hereditario habendas et irreuocabiliter sine contradictione aliqua in perpetuo possidendas, ad faciendum inde quicquid uolueritis, dando, uendendo, cambiando, impignorando, seu quodlibet aliud faciendo. Siquis uero hanc cartam in aliquo infringere uel diminuere presumpserit, iram dei omnipotentis plenarie incurrat, et regie parti mille aureos in cauto persoluat, et dampnum uobis super hoc illatum restituat duplicatum. Facta carta apud Burgis, Era M. CC. XL. octaua, prima die mensis Septembris. Et ego rex A. regnans in Castella et Toleto hanc cartam quam fieri iussi manu propria roboro et confirmo. Rodericus Toletane sedis archiepiscopus Hispaniarum primas confirmat.

Garsias	Burgensis	episcopus	confirmat
Rodericus	Seguntinus	episcopus	confirmat
Petrus	Abulensis	episcopus	confirmat
Gonzaluus	Secobiensis	episcopus	confirmat
Johannes	Calagurritanus	episcopus	confirmat
Garsias	Conchensis	episcopus	confirmat
Tellius	Palentinus	electus	confirmat
Melendus	Oxomensis	electus	confirmat

Didacus Lupi	de Faro	confirmat
Comes	Fernandus	confirmat
Rodericus	Didaci	confirmat
Lupus	Didaci	confirmat
Rodericus	Roderici	confirmat
Fernandus	Garsie	confirmat
Guillelmus	Gonzalui	confirmat
Garsias Roderici maiorinus regis in Castella		confirmat

Petrus Poncii domini regis notarius, Didaco Garsie existente cancellario, J. subnotario scribere iussit.

4441